



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Chronicon Monasterii Bödecensis Ordinis Canonic. Regul.
S. Augustini in Diœcesi Paderbornensi**

Probus, Johannes

Monachij, 1731

VD18 12260568

Caput VI. De tertio Priore Monasterij B. Meinulphi in Böddeken.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64645](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-64645)

ras & fenestras receperit , quæ utique resonantiam qualemcumque tollere deberent & secludere , tamen non minus eadem postea perdurabat , ita , ut Anno Domini 1455. talis vox ibidem cum Regularibus (quemadmodum ab initio , quo Monasterium inhabitare cœperant , consueta fuit) non destiterit dulciter insonare , nec omnino desistet eadem vox adesse Regularibus loci , si & ipsi in observationibus suis sanctis minimè intepuerint . Quia de hac præmemorata voce cuiusdam Regularis probabile & rationi consonum tale , quod sequitur , exsttit sentimentum : videlicet , ut quocunque tempore Regulares Monasterij B. MEINULPHI observandorum suorum diligentes fuerint observatores , & ob hoc consequenter pro solito vivaciori & attenuiori modo in Ecclesia sua divinis intendunt laudibus , illud B. MEINULPHUS fieri videns quasi congaudendo suis fratribus (de quorum professione creditur fuisse) cum eisdem dulcisona voce modulari non æstimetur alienum . Jam de præmemorato secundo Priore Monasterij B. MEINULPHI dicta finem suum habeant ; & quod tam pauca de eo hic conscripta sint hoc idcirco accidit , quia , postquam octo circiter menses idem Monasterium benè rexit , Domino DEO gravi infirmitate eum visitante , finem vitæ fecit , virtuosumque exemplar in semetipso posteris suis dereliquit .

C A P U T VI.

De tertio Priore Monasterij B. Meinulphi in Böddeken.

Postquam secundus Prior morte præventus regiminis gubernacula reliquit , devotus frater Daniel ejusdem Monasterij Anno Domini 1420. ibidem electus est in Priorem , cuius devoti viri vitam si quis scire aveat , scilicet , qualis in disciplari sua conversatione ante Prioratum exstiterit , legat superius de eo Capitulum , quod incipit : Nunc de discipulis , &c. & occurret id , quod scire cupit .

§. 25



C A P U T